

statuentes. Quæ sententia etiam tribuitur à quibusdam Fonseca V. Metaphys. VI. q. II. Sect. I. At hanc quoque sententiam refutare non erit clavam ex manu Herculis extorquere; nam quæritur hîc (α) de principio physico; Existentia autem ad Metaphysicam spectat. (β) Quæstio est de principio, per quod individuum in esse individui constituitur; Existentia autem Individuum non constituit in esse individui, quia Existentia competit etiam Universalibus.

§. 12. Alii vero, inter quos est Thomas de Aquinò part. I. q. III. art. 3. quæst. L. art. 4. & rursus quæst. LIV. art. 3. aliisque locis plurimis; Capreolus in II. dist. 3. Paulus Soncinas VII. Met. quæst. 33. & 34. Cajetanus, statuunt principium individuationis substantiæ materialis esse *materiam individualem*, vel ut loqui amant, *materiam signatam*. Inter hos autem iterum nova oritur controversia, quid per materiam signatam Thomas voluerit intellectum? num videlicet illa materia ei di-